DE

ODONTALGIA

SPECIMEN

QUOD

CUM ADNEXIS THESIBUS PUBLICE PROPUGNABAT

IN TAURINENSI ACADEMIA

SALVATOR MARIA VIALE

TRIDINENSIS

E SESSITIS PRAEFECTURA

UT

MEDICINAE DOCTOR

RENUNTIARETUR

Anno MDCCCIX, *die 24 sextilis, hora 10 matutina.*

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA VINCENTII BIANCO

In aedibus quae Universitatis dicuntur.

DE ODONTALGIA.

QUEMADMODUM cuivis coelo suas varia manu est impertita gratias natura, diversaque tellus varia edit producta: ita et singulas sua plectunt mala regiones; aegritudines enim aliae alia tenent imperia, videnturque pene definita confinia, ultra quae iis haud incedere liceat. Harum autem ingenium perdiscere, insidias detegere, molimina frustrari, jacula obtundere sacrum Medico regionem, quae cujuspiam affectionis est sedes, incolenti munus incumbit: qui si universi humani generis incolumitati prospicere debet, quanto aequius in eorum salute tuenda suam collocabit operam, quos et eadem tellus enutrit, et idem recreat coelum, et arctissima sanguinis, necessitudinis, legumve vincula nectunt? Aliunde vero si perspecta debet esse ad rectam curationem instituendam morbi natura, nemo certe satius id assequi poterit, ac ille, qui et propius affectionis pathemata vestigarit, saevitiemque ipse persenserit. Quamombrem non erat, cur in deligendo, quod pertractandum susciperem, argumento diutius ambigerem. Nam si natali solo sua liberaliter largitum est fatum beneficia, non desunt tamen quae felicitatem quoquomodo inficiunt venena. Porro inter varios, quibus premitur patria morbos, frequentissima se praebet odontalgia. De hac itaque disserere constitui: eoque lubentior manum ad opus admovere debebam, quod concivium valetudini vacans, vacarem et meae, quippe communes sunt aurae, communes sortis favores, sunt communes et poenae; neque postremum mihi parcit

infortunium. Salebrosissimum quidem adgredior opus perdebilis: at ne nota temeritatis inurat; ad susceptum me vocat officium; ad argumentum propria salus, conciviumque maxime incolumitas, quam et ardentius ac meam peropto allexere, plus dicam, coëgere. Si non respondent vires, nulla mihi culpa, plura non suppetunt ingenio: aequa sunt animi vota: mereantur haec veniam. Hanc quidem flagito, simulque rogo, ut antequam ad morbum describendum accedam, mihi sit integrum dentium historiam, aliosque nonnullos, quibus obnoxii evadunt, affectus primoribus labiis delibare: inde enim facilior, planiorque patescet aditus ad penitiorem morbi, ejusque curationis notionem aucupandam.

§. I.

Quae ubique se maxima prodit, in eo potissimum elucet naturae sapientia, quod tam multas quibus animantium componuntur corpora partes sub adeo multiplicibus, tamque variis offerat formis. Ibi enim distribuuntur nervi, inexhaustae vitalis principii scaturigines; extenduntur musculi, agiles motuum ministri: expanduntur membranae, quae vel in tubos convolutae vasa ad liquida devehenda conficiunt, vel organa a laesionibus tutanda convestiunt; illic ossa firmissimis coagmentata vinculis stabile praebent machinae fulcimentum. Undequaque vero per propria vasa circumvehitur sanguis, quas juge infert actionum exercitium resarturus jacturas: ex hoc fonte perenni variae indolis secedunt humores, quorum alii artificiosis elaborati organis ad varias obeundas functiones suam conferunt symbolam; alii partes jugiter ad flexilitatem servandam irrorant: alii demum canalium superficies molli unguinoso smegmate mulcent, ne ob ariditatem ab officio ferientur.

II. At vero si in caeteris cunctis animantium partibus parandis, ordinandisque admiranda Creatrix, non minori sane cuivis dentium fabricam, ac dispositionem attente contemplanti micat ejus sapientia fulgore. Obstupescet quidem illico miram perpendens dentium firmitatem, firmitatem tantam, ut caeterorum ossium longe superantes dentes duritiem sat solidas facile moles discindant, et omnino in muribus minimi ferreos, argenteosque clypeos erodant. Hinc nil mirum si temporis, cujus insatiabilis cuncta terit, cuncta destruit voracitas, adspernati dentes injurias ad diutissimum tempus, et ad saecula incorrupti in cadaveribus maneant. Hinc ortam arbitratur TERTULLIANUS consuetudinem, qua Veteres, quos incorruptibilis non fugerat dentium natura, dentes humo tradebant, quo affulgente resurrectionis die integrum consanguineorum, amicorumque (1) revivisceret corpus.

III. Neque minor subibit animum stupor, qui sedulo dentium dispositionem vestiget. Eo enim ordinantur dentes artificio, ut per gingivas utriusque maxillae alveolaribus oris firmiter infixi, vi divulsurae resistant; atque ita disponuntur, ut superiores inferioribus apprime non congruant; sed ii aliquanto anterius producantur: providum quidem, sagaxque naturae consilium: inde enim facilis alimentorum dissectio, atque masticatio perfectior.

IV. Unde partes mutuatae sint nomen, satis non constat: nonnullorum tamen sententia est, neque a veri specie prorsus aliena, dentes tali primis aevis fuisse denominatione salutatos, quod manducationi famulentur, perinde edentes (2). Incertus

(1) *Diction. univers. de méd. tom. III, p.* 1000.

(2) *Idem l. c.*

est numerus: utplurimum sexdecim in utraque numerantur maxilla: raro excedunt: non adeo raro pauciores conspiciendi se praebent (1): alias aliquis dentium est bifidus, ut binos referat; varius et ipse pro varia aetate dentium est numerus: quo quidem discrimine a caeteris abludunt ossibus, quorum numerus a conceptu ad obitum constans (2), neque iidem per totum manent vitae curriculum: stata enim epocha decidunt succrescentibus sedem licturi. Hinc duplex distincta dentitio.

V. In foetu dentis fundamentum est nudum: in adulto folliculum exhibet dentis similem in radices et aciem productum, membranaque numerosissimis scatente vasculis convestitum. E folliculi superficie, vergente ad finem gestationis periodo, succus exsudat, qui concrescens solidescit in crustam, qua dentis portio ab alveolo promiuens operitur: sensim crusta succrescit, mollesque gradatim indurantur dentis radiculae (3).

VI. Binas in dentibus distinguunt Anatomici partes: alteram prominentem albicantem, quae *caput* dicitur, seu *corona*. Alteram alveolis infixam, *radicem* dentis nuncupatam: haec in aliis dentibus unica, in aliis multiplex. Cavum in coronae crassitie adnotatur, quod in tenero majus infante sensim progrediente minuitur aetate. Tenuis circumvestit membrana, per quam vasa perreptant: inde canaliculi secedunt ad radices producti.

VII. Duplici conflantur dentes substantia: exterior *encaustum* dicitur: interior est ossea. Totum dentem encausto circumambiri docuerat Bertin: at Winslow majorem adnotavit hujusce

---

(1) Portal *cours d'anatom. méd. tom. I, p.* 197.

(2) Bichat *traité d'anatom. descript. tom. I, p.* 83.

(3) Haller *elem. phys. tom. VI, p.* 21.

crustae in corona, ac in radicibus crassitiem, in quibus vix ulla se sistit. Triplicem in encausto distinxit fibrarum ordinem nuper laudatus BERTIN: quarum aliae parallelae sunt, obliquae aliae, aliae demum radiatae: dentium maceratione acidi nitrici ope peracta fibrarum directionem adnotavit clar. PORTAL (1). Mira prorsus encausti durities: limae, atque igni resistit: in antiquissimis cadaveribus, caeteris jam in pollinem fatiscentibus ossibus, integrum adnotatur: si cum chalybe calidas, vividas, elicit favillas. Vitri simile quid habet: in angulosas, ut ipsum, diffringitur particulas (2). Altera dentis portio pene friabilis ad caeterorum ossium diploicam accedit substantiam.

VIII. Triplex dentium distinguitur classis; et proprium quaeque habuit nomen ab usu: hinc *incisivi*, *canini*, *molares* salutati: incisivi (*cuneiformes* vocat CHAUSSIER (3)) minimi sunt, anteriorem occupant sedem: quatuor in utraque numerantur maxilla: interiores majores; majores et ii, quos superior habet maxilla. Unica iisdem est radix, atque in scindentem attenuatur aciem corona. Ad instar cunei conformati eodem funguntur et munere: ad mordendum, ad discindenda alimenta inserviunt.

IX. Canini sic appellati, quod insignes potissimum in canibus observentur, CHAUSSIER nuncupat a figura *conoideos* (4), et *laceratores* RICHERAND, (5) nomine propius ab agendi ratione mutuato. Bini sunt in utraque maxilla: unus in utroque latere incisivos inter, et molares. Corona ipsis est major: non in

(1) Portal *op. cit. tom. I*, *p.* 200.
(2) Haller *op. cit. tom. VI*, *p.* 23.
(3) Chaussier *tabl. synopt.*
(4) Chaussier *tabl. synopt.*
(5) Richerand *nouveaux élémens de physiol. t. I*, *p.* 158.

prismaticam aciem, verum in conicum terminatur fastigium. Radix longior, in maxilla praecipue superiori, in qua non semel adeo producitur, ut et Hygmori alte penetret sinum. Majorem, ac incisivi, edunt actionem: crassiores enim, ac teretes omnem unico vim dirigunt puncto. Tum incisivis, tum laceratoribus data unica radix.

X. Molares sic dicti, quod alimentorum commolitionem operentur, sunt decem in utraque maxilla, in utroque latere quinque in magnos, et parvos nonnulli distinguunt. Hi caninis adjacent, binique in utroque sunt latere: caeteri appellantur magni. Molares dentes *cuspidatos* vocat CHAUSSIER, et in *bicuspidatos* distinguit, ac *multicuspidatos*, qui parvis, ac magnis respondent (1). Non unicam habent radicem, si primos a caninis excipias, quibus unica est, non raro tamen in inferioribus bifida: caeteri vero duas, tres, quatuor, quin et quinque oggerunt radices, vel aequius unicam in plures acies productam. Radicum numerus adaugetur, prout dentes ad mandibulae articulationem accedunt. Coronae in latas expanduntur superficies scrobibus, et eminentiis insculptas. Lati cum sint dentes molares, sibique arcte adjaceant durissima quaeque conterunt, ad masticationem potissimum inserviunt.

XI. Cuique dentis radici sua prospicit arteria, quae per proprium foramen dentem subit, et per membranam interius cavum succingentem, periostei propaginem, suis dispergitur ramis. Maxillae superioris dentibus consulentes arteriae sunt plures: alveolares posteriores tum infraorbitalium rami. Alveolaris arteriae alter truncus in maxillari osse, et gingiva versus anteriora contendit: alter in postica parte, sinus maxillaris sede, ossis subit canalem, super postremorum dentium radices antror-

(1) Portal *op. cit. p.* 205.

sum vergit: ipsorum alveolis surculos praebet: tum et radicibus dentium molarium, laceratorum, incisivorum: in nares demum terminatur; hujusce arteriae rami Hygmori subeunt sinum. Infraorbitalis arteriae ramum unum, alias plures per proprium canalem secus antrum Hygmori deorsum mittit: inde numerosi surculi procedunt.

XII. Unica inferioribus dentibus consulit arteria, internae maxillaris proles. Haec inter pterygoideos musculos descendit. Varios edit ramos proximis partibus provisuros: demum ejus truncus ad posteriora fertur, subque dentibus antrorsum migrat: de mentali egreditur foramine: binos ibi dat ramos, quorum grandior per faciei, mentique distribuitur musculos: minor vero ad menti symphisim pergit, et ad dentium molarium, caninorum, incisivorum radices suos mittit ramos. Arteriarum comites venae.

XIII. Nervi in universum indivulsi et ipsi arteriarum sodales se sistunt, qui per superiorem diduntur maxillam, a secundo quinti paris nervo procedunt. Rami dentales inferiores sunt a trunco tertio ejusdem nervi (1).

XIV. Jam vero quis amantissimae Parentis jam non admiratur obsequiosus providentiam, quae propriae sobolis zelotypa nihil, quod ad ejus felicitatem conferre posset, denegavit, tamque insignibus large cumulavit beneficiis? Maxilla sentiente convestitur membrana: hinc non possent dura conteri alimenta, neque absque dolore teneriora molerentur, atque adeo, ni aliud suppeteret praeter maxillam auxilii, a multis excluderemur cibis. Provida fuit natura: dentes ipsa dedit; validum ad alimenta conterenda, et subigenda praesidium.

---

(1) Hall. *op. cit. tom. VI*, *p.* 29 *et seq.*

XV. Dentium quidem ad masticationem, digestionemque alimentorum utilitatem ii sat comprobant, quos gelida jam premit senectus: tenerae quippe solae concessae sunt miseris pultes, a quibus tamen vix quidquam voluptatis percipiunt, et nutrimenti hauriunt: masticatio enim est alimentis, dixerim, condimento. Siccissimus, nigerque panis, si diutius dentibus subigatur, et gratior fit, et magis enutrit. Cibi praeterea sunt, quos ventriculi, atque intestinorum actio conjuncta immutare non posset. Exemplum in uvarum membranis habemus, quae tenuissimae licet, intactae tamen egeruntur. Quamobrem si dentes denegasset, perperam non paucos parasset cibos Creatrix, quin et non leve ab iisdem pateremur detrimentum: male enim comesta alimenta turbas in universa cient oeconomia, unde vires fractae labascant. Hinc pessime sibi consulunt illi, qui vix cibos dentibus molunt. Hac praecipue inuruntur nota literati, quorum ardentior perdiscendi cupido sacrum tuendae valetudinis praefocat instinctum.

XVI. Si vero et ad animantia descendere obiter velimus, pleraque dentibus ad praedam enecandam, et se ipsa tutanda ceu armis utuntur: in aliis ita sunt dentes conformati, ut quam capesserunt, firmissime retineant victimam, ne effugiat: atque in aliis demum dentes in peculiari cavo veneficum congerunt humorem, quem in demorsam praedam instillant pastum animanti paraturi.

XVII. Verum non solum ad masticationem dentes inserviunt: alios praestant usus non minus momentosos. Linguae, aërique e pulmonibus erumpenti obicem opponentes vocem grate contemperant, variisque modulis flectunt, unde suavior existat carminis numerus; neque absque dentibus liquida esse potest verborum articulatio: ita impedita pronunciatio infantibus, qui-

bus nondum erupere dentes, et imperfecta iis loquela, qui infelici conditione dentes amiserunt.

XVIII. Non modo utilitatem sibi jussit in suis patrandis operibus Natura, pulchritudinem et voluit ipsa; quantum porro venustatis non conciliant dentes! Vix quidquam magis adspectum deformat, ac dentium potissimum anteriorum defectus, aut inconcinna dispositio, aut turpis nigredo: hinc cur speciei laudes a dentibus praecipue desumserint Vates, ipsorumque eburneae tot sacraverint albedini carmina. Quare mirandum, nonnullos Indiarum populos in dentium defectu, tradente BENZO, formae gloriam collocare, ut sibi dentes evellant (1).

XIX. Nihil itaque mirum, si tam severe non necessariam dentium evulsionem veteres interdixerint leges: ita MOEBIUS scribit, DEUM per MOYSEM jussisse, ut quos heri dentium laesione multassent, servi ad libertatem illico redderentur. Idem memorat Auctor, priscos in Apollinis templo plumbeum suspendisse forcipem, quo quisque perciperet, nunquam dentem fore evellendum, ni eo evecta fuisset caries, ut hujusmodi instrumentum exposceret. Tanta quidem in dentibus curandis viget penes Turcas religio, ut dentem, ni prius Sacerdos concesserit, sibi evellere non audeant (2).

XX. Priorem jam operis partem absolvimus: ordo modo nos vocat ad vestigandas dentium affectiones. Ne vero ab instituto longius deflectamus, praecipuas tantum obiter recensebimus, de odontalgia fusius disputaturi: prima venit consideranda caries. Haec quidem ossa spongiosa frequentius corripit, non tamen dentibus parcit: caussa utplurimum est morbus praegressus, puta

(1) *Diction. univ. de méd. tom. III, p.* 100.

(2) *Op. cit. p.* 1010.

syphilis, scrophula, scorbutus, rachitis: non raro tamen exterior caussa producit. Haec sunt, quibus stipatur symptomata. Punctula flavicantia, vel nigra dentem commaculant: alias foramina pertundunt, ut encaustum praetergressa ad interius penetrent cavum; plerumque dentes molares carie multantur: eaque pars laeditur prima, quae proximum respicit dentem. Dolor interim acerbissimus exoritur omnem arcens somnum, tunc potissimum saeviens, ubi vel frigidae aurulae afflatus, vel alimenta, vel acida in ejus contactum venerint. Sanguis ad buccas, gingivasque uberius affluit: hinc intumescunt, ac dolent. Non una ad cariem sistendam proposita methodus. Nonnulli, ubi incipiunt punctula se prodere cariem indicantia, affectam dentis partem limae subsidio erodendam volunt: neque semel affectus inde conticuit devictus. Quum cavum jam caries effodit, ne ab aëris, salivae, alimentorum attactu increscat, suadent, ut aurea, argentea, vel plumbea dens cariosus circumvestiatur lamella; alii commendant, ut sedi carie affectae candens admoveatur ferrum, quo vitali sufflaminato influxu consopiatur dolor, morbusque profligetur. Quae quidem methodus dolorem quidem lenit, non tamen cariei vetat progressus, licet aliqua ratione retardet. Acida sulphuricum, et nitricum, potassa, aliaque caustica in usum accersita ad cariem destruendam fuerunt: vix tamen sat cauti esse possumus, ne sanos proximos dentes laedamus: quamobrem ubi jam eo evecta fuerit caries, ut vix aliquid sperari queat a laudatis auxiliis emolumenti, ad dentis extractionem confugere praestabit, quae ni jucunde, tuto tamen, ac cito morbum radicitus evellit (1).

XXI. Dentes frequentissime quodam strato obducuntur, tar-

(1) Gariot *traité des maladies de la bouche*, p. 195.

tari speciem aemulanti. Per noctem praecipue, et a pastu haec substantia concrescit. Dentium adhaeret coronae: ni dentes abluantur, sensim fit durior, ut demum dentium prae se gerat duritiem. Non semel dentes adeo haec contegit crusta, ut dentes in unum coalescere videantur. Debili constitutione praediti affectioni prae caeteris patent. Frequens dentium ablutio morbum facile praecavebit (1).

XXII. Dentes et ipsi luxationi obnoxii esse queunt, vel ob violentum ictum in eosdem illatum, vel ob maxillae a casu in durum corpus impactionem. Dentem in situm reponere, ac retinere quousque pristinam fuerit soliditatem adeptus, unicum est hoc in casu praesidium (2).

XXIII. Dentes, quos jam caries exesit, vel a levissima caussa franguntur; si altius penetret divisio, metallica obturanda lamella, ne ab aëris, alimentorumque contactu caries ocyor progrediatur: vel, si dolor acerbissimus divexet, dentis extractio molienda. Verum et dentes sani frangi varias ob caussas a masticatione, ab ictu, similibus queunt, nec inde quidquam interdum enascitur molestiae: quod si obtingat, quiescendum: si vero dolor saevus cariem minitetur, ad laudata confugiemus auxilia (3).

XXIV. Fatiscente nervoso systemate, laxatis partibus, quae dentes in alveolis firmiter retinent, quod praecipue adnotatur in scorbuto, et ab imprudenti mercurialium administratione, dentes mobilitatem acquirunt. Morbo primario succurrendum ad affectionem curandam. Aquae cosmeticae mercurium continen-

---

(1) *Op. cit. pag.* 184.

(2) *Op. cit. pag.* 188.

(3) Gariot *op. cit. pag.* 190.

tes prorsus ablegandae. Fugaci venustatis gloriolae intemerata salus praeferenda.

XXV. Ab acidis, austeris, a crystalli fractione exoritur in dentibus quidam stupor: *haemodiam* salutant. Per se evanescit affectio: calida ore retenta citius adhuc dissipat.

XXVI. De hisce jam satis; nostrum enim non est cunctas singillatim percensere affectiones, quibus dentes multari queunt. Principes tantum adumbravimus, quod pleraeque non raro odontalgiae vel sociae se praebeant, vel viam sternant. Nunc itaque ad institutum deveniamus. Odontalgia, si ethymologiam spectes, dolorem dentium significat. Perperam sunt arbitrati nonnulli, dolorem hunc non a phlogosi partium dentes, eorumque alveolos succingentium proficisci, verum enasci a quadam acri materie alveoli membranam irritante, ejusque actionem adaugente, quin inde inflammatio ulla existat. At aequo jure effectum cum caussa fuisse temere confusum dubitat DARWIN (1), eoque animum inclinat, ut putet, dentis cariem, doloremque exoriri a membranae torpore. Suam vero hisce firmat argumentis sententiam. 1.° Dolor constanter dentis vitio praecedit. Saepius inducias pangit, mox diffringit, atque hasce ad annos oggerit vices, quin tamen certa inde consequatur dentis caries. 2.° Quodvis stimulans pharmacum, puta pyrethrum, aut caryophyllorum oleum, similia si denti applicentur, vel si aether sulphuricum genae extus admoveas, tantum abest, ut dolorem exasperent, quod certe contingeret, si dolentis membranae jam nimia foret actio; quin potius incantamenti ad instar subitum afferunt affectioni levamen. 3.° Demum torpor, sive fatiscens membranae vitiati dentis actio efficit, ut caeterarum membranarum, quae majus alunt cum ipso commercium, uti illae sunt,

(1) *V.* Darwin *zoonom. tom. IV pag.* 212.

quae genis, ac temporibus adsident, a naturali energia deflectant. Hinc aeger si proprias malas exploret, affectam frigidiorem, ac sanam persentiet: nec semel in affecti lateris tempore haemicraniae suboritur dolor. Jam vero si perpendamus, sub phlogoseos opere non modo naturalem imminui calorem, quin imo adeo increscere, ut et pars affecta exurat, admotamque manum moleste vellicet, sed et proximis calorem communicet partibus, facile videbimus, odontalgiam non esse in inflammatione locandam. Sed et aliud suppetit non minus luculentum argumentum, cui superstruatur Auctoris opinio. Si odontalgia exoriretur a phlogosi, nulla est ratio, cur levamen a stimulantibus habeatur: pyretri radix, oleum caryophyllorum, aether sulphuricum, id genus alia morbum exacerbarent, lenire certe non possent: atqui leniunt: non itaque phlogosis odontalgiae caussa censenda. At dum DARWIN odontalgiam in membranae dentes cingentis atonia collocat, alias mentionem instituit de altera dentium affectione, quam odontitidem salutat. Haec autem est dentis dolor a membranarum dentis inflammatione oriundus (1).

XXVII. CULLEN primitus odontalgiam ceu rheumatismi speciem consideraverat: quum vero observasset systematis sanguiferi actionem adauctam esse in rheumatismo, dum contra in odontalgia non raro eadem omnino se sistit, a pristina opinione descivit, atque in sua praxi odontalgiam seorsim a rheumatismo pertractat, putatque, dentium dolorem exoriri ab acri materie dentis nervis applicita (2).

XXVIII. At si mea libere proferre mihi liceat cogitata, hasce crederem conciliari posse, quae sibi mutuo videntur ad-

---

(1) Darwin *zoon. tom. IV pag.* 397.

(2) Cullen *élém. de méd. pratiq. tom. I pag.* 313.

versari, sententias. Etenim quid vetat, quominus odontalgia alias ceu rheumatismus habeatur a membranis dentium inflammatis oriundus; alias ab earumdem derivetur atonia; alias demum ab acri irritante dignoscatur. DARWIN dum de odontitide edisserit, quam a phlogosi repetit, nonne odontalgiam inflammatoriam admittit? Quum itaque variae caussae dentium dolorem progignere valeant, variae etiam constituendae affectionis species: quemvis dentium dolorem a qualibet caussa natum odontalgiam appellantes, hanc diversis salutabimus nominibus, prout a varia caussa promanat; hinc et curandi methodus patefiet, et Auctorum conciliabuntur sententiae.

XXIX. Inflammationem, atoniam membranae dentes cingentis, tum et irritans caussa eamdem afficiens, dentium dolorem producere posse, vidimus. Sponte itaque fluit odontalgiae divisio, in *inflammatoriam*, seu *hypersthenicam*; in *atonicam*, seu *hipposthenicam*; demum in *irritativam*, seu si malis, *ab irritatione natam*. Binae priores vel primarium morbum constituent, vel alterius morbi symptomata sistent; hinc distinguentur in *essentiales*, et *symptomaticas*; demum prout caussa morbi est in sede affecta, vel in partibus tantum cum eadem consensum foventibus residet, odontalgia in *idiopathicam*, et *sympathicam* dispescetur. Singulas hasce affectionis species seorsim contemplabimur: symptomata adumbrabimus, quibus quaevis stipatur: caussas enumerabimus, quibus plerumque sua dignoscant exordia: demumque methodum trademus, qua recta institui possit curatio.

XXX. Prima itaque venit consideranda *odontalgia inflammatoria*, seu, si magis juvet, *rheumatismalis*. In hac interdum totius systematis incitamentum luxuriat, febrisque accenditur: at saepius, saltem primo insultu, pars tantum afficitur:

seu membrana dentes succingens, vel etiam maxilla, qua parte gingivis adsidet: nec ulla viget febris, licet mox se prodat, praecipue ubi saevior morbus fuerit. Quando cum febre est, exorditur insultus a levi horripilatione, quam reliqua pyrexiae subsequuntur symptomata: pulsus tangitur frequens, plenus, et durus: calor increscit: rubet facies, urinaeque flammeae minguntur: in dente, vel potius in ea, qua circumcingitur membrana, enascitur dolor acutus, pulsans, ab alimentis contingentibus, a spirituosis, a calida potione se se exacerbans, placida noctis otia prohibens, animumque adeo dejiciens, ut attentionem cuilibet, licet gratissimo, objecto intendere nequeat ad levaminis aliquid experiundum: dolor ad aurium interdum interiorem cavitatem se se extendit: lenitur interdum aliquanto, exhausta fortasse sentiendi facultate: at mox recrudescit: gingivae tumescunt, et genae. Sic per plures dies, non vero per aliquot hebdomadas angit affectus, donec omnino decedat.

XXXI. Climata frigida incolentes frequentius morbo obnoxii sunt, quam qui propius ad aequatorem habitant. Humidum coelum non parum ipsi favet. Per vernum tempus, et autumnale praecipue saevit affectio: multo mitior saeviente hieme adnotatur, potissimum ubi frigus sit constans: rarissime, aestuante syrio, aggreditur. Quamquam omnes anni tempestates odontalgiae patescere queunt, quum frequentes alternant caloris, ac frigoris vicissitudines. Juniores plethorici, praesertim qui obnoxii sunt periodicis narium haemorrhagiis, tum et adulti, quibus haemorrhoides suppressae fuerunt, odontalgia frequentius corripiuntur. Qui venam sibi tundere consueverunt, si phlebotomiam negligant, iis facilius dentes dolent. Observantur foeminae utplurimum saepius odontalgia affectae, ac viri. Qui morbos haereditarios admittunt, contendunt

esse homines, qui haereditariam ad odontalgiam habent dispositionem. Demum odontalgia inflammatoria nasci potest a dentifriciis acribus; a dentis evulsione; hujusce generis pluribus. Prognosis infausta esse non potest, si mature succurratur; sin minus, aequus suppurationis est metus.

XXXII. Modo esset tradenda methodus curativa: at laudabilius duco primum caeteras odontalgiae species perpendere: e varia enim symptomatum serie, quibus ipsae comitantur, caussarumque discrimine per se fluet curatio, quam tanto accuratius dignoscemus, quod diversas, quas morbus induit formas, distinguere jam didicerimus. Gradum itaque faciemus ad *odontalgiae hyppostheniçae* investigationem. Vix unquam febris antecedit: at dolor illico se prodit: gena non calet, quin imo calor in ipsa imminuitur (1): pulsus turbatus quidem adnotatur, ac frequens: non tamen vehemens, plenus, ac durus, ut in odontalgia hypersthenica; urinae a suo vix deflectunt colore. Si spirituosa extus genae admoveantur, vel ore detineantur, mitescit dolor: quod quidem suppetit criterium, caeteris desideratis indiciis, ad doloris indolem hypersthenicam, aut hyppostheniçam dignoscendam.

XXXIII. Debiles magis, ac plethorici huic odontalgiae speciei obnoxii sunt. Caussae, quae morbo viam sternere valent, ex debilitantium sunt classe.

XXXIV. Prognosis est varia: si matura usurpentur praesidia, dolorque leniatur, spes est morbum resolutum iri: si vero ipse perseveret, vel adhuc increscat: tunc deficiet dentis nutritio, et caries exorietur: vel quoque facile dens et a levi caussa diffringi patietur.

---

(1) Darwin *zoonom. tom. IV pag.* 212.

XXXV. Appellamus *odontalgiam irritativam* eam, quae enascitur a caussa membranam laedente: in qua incitamentum quidem adaugetur, vel imminuitur, vel (aequiori jure dicemus) turbatur: sed id vitii jam secundarium est: adeo ut perperam morbi curationem adgrederemur tum tonicis, tum debilitantibus; quae quidem symptomata lenire valebunt, nunquam vero morbum curabunt, ni simul caussa destruatur, a qua ortum habuit. Ita si causticum, vel quaelibet caussa encaustum eroserit, a jugi aëris attactu interior pars dentis laedetur, nasceturque caries. Dens dolebit: at dolor omnem adspernatur medelam, dentis evulsionem requirit. Hoc igitur in casu erit odontalgia irritativa.

XXXVI. Symptomata possunt esse diversa: hypersthenicam modo simulabunt, alias hypposthenicam. Etenim (docente Guani (1)) irritativa solidi viri conditio potest cum utraque diathesi, seu melius cum utriusque diatheseos symptomatibus consociari. Hinc symptomata vix aliquid lucis affundent: plus a caussis accurate vestigatis sperandum.

XXXVII. Hae plures esse possunt. Dentifricia acriora: caustica: verbo quidquid dentis encaustum laedere valet.

XXXVIII. Nulla affulget spes sanationis, nisi a dentis evulsione.

XXXIX. Symptomaticam odontalgiam memoriamus: sic appellamus eam, in qua nulla dentis est affectio primaria, sed dolor ab universo incitamento vel adaucto, vel imminuto exoritur, ita in rheumatismo universali dolent dentes: dolent et ipsi in affectionibus nervosis. Dolor plerumque vagus est, nec constans, sed periodice revertitur: neque intumescunt gingivae.

---

(1) *Saggio sulla maniera d'agire de' contagi e de' miasmi.*

Prognosis nulla statui potest: quum dentium dolor hoc in casu tantum epigenomenon sistat.

XL. Distinximus demum odontalgiam in idiopathicam, et sympathicam. Idiopathicam declarabunt caeterae partes nulla affectione detentae: levamen ab auxiliis genae, vel gengivis applicitis. Contra sympathicam patefacient nullae doloris induciae sub quacumque methodo curativa in parte adhibita: ulterius adhuc ostendet cujuspiam partis affectio, cujus vices subeat dentium dolor: increscat increscente, lenita leniatur. Idiopathicae prognosis a symptomatum saevitie desumitur: sympathica non sanatur, nisi sanata parte primario affecta.

XLI. Nullo vero modo reticenda, quam nuperrime edidit cl. Giannini rheumatismi theoria, quum odontalgiam ad rheumatismum quoque pertinere, adnotaverimus. Exorditur Auctor ab eorum expungenda sententia, qui affectionum rheumaticarum caussam in nescio qua acri materie collocabant. Postea ad trutinam theoriam Brunonianam accersit, in qua incitamentum vel adauctum, vel imminutum cunctas constituit aegritudines. Hanc oppugnare adgreditur adnotans, Auctores alios in alias distractos fuisse sententias curativam methodum tradituros: ita Sarcone utile opium arbitratur: Haygarth rheumatismum cortice curat peruviano: alii guajaci, et camphorae subsidio: demumque alii sunt, qui sudorifera calefacientia supremis laudibus evexerint. Atqui haec auxilia nemo adhuc impune adhibuit in peripneumonia, aliave affectione vere hypersthenica. At vero rheumatismus, si hisce cessit auxiliis, an morbus hypersthenicus haberi poterit? Nemo crediderit. Id quidem non latuit Cullenium, et Brunonem, qui licet sanguinis missiones in curando rheumatismo commendent fatentur tamen non raro vota illusa vidisse. Sic scribit Bruno « certum medicorum, frustra esse

(sanguinis detractionem) dilectum suum remedium, saepe quaerentium testimonium confirmat. « In rheumatismo, licet diathesis » satis magna sit, non ideo tamen sanguinis solita profusio requi» ritur... Hinc post nimiam sanguinis detractionem, saepe tamen » obstinatus morbus recurrit ». Talia porro docet Cullenius: Venae sectiones, et purgantia rheumatismi violentiam compescunt: interdum et penitus morbum profligant: verum saepe saepius optato non potiuntur effectu, curamque non prorsus adimplent, permulta emergere incommoda queunt, ubi curatio venae sectionibus copiosis, iteratisque tentetur. Quae quidem ostendunt, praeclarissimos Auctores diathesim, cui rheumatismus consociatur, neque inflammatoriam, neque ei contrariam habendam, implicite dignovisse. Descendit modo Giannini ad affectionis caussam inquirendam, eamque in frigore detexisse sibi visus est: quum autem et frigus febres tertianas, nervosas hujusce generis morbos producere valeat, rationem perquirit, cur sub statis rerum adjunctis rheumatismus potius evolvatur, ac febris intermittens, ac typhus. Nostrum non est argumenta singillatim percensere, quibus suam Auctor superstruere conatur opinionem: qui eadem intimius vestigare cupit, ipsum adeat: id unum observare liceat, quod ad nos propius spectat. Admisso itaque frigore ceu constanti rheumatismi caussa, concludit, morbum esse non posse hypersthenicum. Sic autem ratiocinatur: frigus debilitat: ejusdem actio debilitans non nisi in nervosum systema agere potest: hoc fatiscente, reactio in arterioso systemate nascitur: hinc febris: caussa itaque *proxima* febris rheumaticae continebitur tota in nervorum *atonia*, quam subsequitur arteriosa, et muscularis reactio. Quin plura dicam, jam patet, Auctorem rheumatismum in nervosthenicarum affectionum censu collocare.

XLII. Auctoris, cujus nomen in medica sat notum republica circa rheumatismum cogitata hucusque obiter adumbravi (1); praetermittere nullo modo poteram, iniquum fuisset silentium; si longe alia mea est, ac Auctoris imago, nulla est animo culpa: rudis calamus venustis absque coloribus elegantiorem delineare non potuit. Ast plus, et video, expeteret opus Mediolanensis Medici sententia: ad examen esset accersenda: novis sancienda foret argumentis: vel, ubi a veritate deflectat, expungenda. Verum veniam flagito, mereri arbitror, assecuturumque a quovis aequo judice spero. Juvenis vix e medicae scholae liminibus egrediens an theoriarum pondus unquam definire valebit? Silebo itaque modestus; mihi sufficiet medicinae Procerum dissidentes opiniones attento animo apprehendisse, fulgentioremque ab eorum indaginibus auroram sperare. Id unum observabo (ab instituto declinanti sit venia) male eos judicare, qui quidquid novi sapit, quin judicarerint, illico rejiciunt. Veritas nostra semper mereri debet suffragia, placeat, vel amatis adversetur doctrinis. Æquum itaque semper sententiae praecedat judicium: judicium cautum esto, ab omni studio liberum: alta mente reponatur: magnorum Virorum errata, ac deliria non raro utilium veritatum esse foecunda, nostramque mereri gratitudinem omnes, qui velum, quo zelotypa se contegit veritas, discindere adgrediuntur, licet adhuc magis obvolvant.

XLIII. Varias odontalgiae species hucusque delineavimus: differentias et ipsa patefecere pathemata: nunc itaque transeundum ad perpendendam methodum curativam, quae cuique conveniat: et quoniam hypersthenica primas nostras voluit indagines: primum et ibi ipsa habeat locum. Jam patet in statu

(1) Giannini *della natura delle febbri tom. II, capit. 8.*

hypersthenico cuncta eo collineare debere praesidia, ut luxurians incitamentum refroenent, et ad pristina restituant confinia; hinc alimenta ex animali regno deprompta ablegentur; exulent potus spirituosi: succedat vegetalium usus, vel lactis: atque potiones diluentes, refrigerantes affatim epotentur: epitemata ex iisdem parata, vel fotus ex aqua aceti tantillo diluta: vel in qua aliqua acetitis plumbi portiuncula soluta sit, lateris affecti genae a nonnullis admoventur; vix utiliter tamen; lac vel simplex, vel malvae, similiumque refrigerantium decoctis junctum, atque ore detentum dolorem mirifice lenit.

XLIV. Haec plerumque ad affectionem curandam sufficiunt: at si pervicax reluctetur, efficacioribus armis adgrediemur; venae sectio praecipuum praestabit auxilium: quae iterabitur, si non dum mitescat dolor, nec minuatur pulsus plenitudo, atque durities: cauto tamen est opus, ne largius sanguinem profundamus: lente enim inde convalesceret aeger: vel aequus est metus, ne morbus mutetur in chronicum.

XLV. Ad hanc systematis debilitatem devitandam, quam adducunt generales sanguinis eductiones, substitui facile queunt locales, praecipue ubi aliquid auxilii doloris flagitet violentia. Hirudines itaque retro aures admotae, vel scarificationes utilitatem hisce in casibus afferent. Hae tamen tantum in usum accersentur, ubi affectio sit topica: si vero ab universi incitamenti incremento exorta fuerit, generales venae sectiones, caute tamen, instituentur.

XLVI. Multo tutius, ubi per venae sectiones imminutum fuerit incitamentum, ad alia debilitantia confugimus, quae mitius agunt. Huc referuntur purgantia, quae tamen ex iis esse non debent, quae universum incitent systema: salia neutra palmam ad hunc scopum facile praeferunt. Eadem tamen multo minus

valida se praebent ad inflammatoriam diathesim oppugnandam: at quum affectio universalis facta est, acerbiusque conflictat, dejectiones crebrae non modo non conducunt, quin imo noxiae adnotantur (i).

XLVII. Cullen a rubefacientibus, et camphora admotis aliquid sperat utilitatis. Equidem, pace tanti Viri, nullam video rationem: quoad camphoram, anceps haereo, quum hujusce agendi ratio nondum, ni fallor, sit definita. Observamus enim urethrae inflammationes hypersthenicas (quod indubie patefaciunt damna a stimulantibus habita) camphora curari; atque deliria opio reluctantia a camphorata emulsione non raro sedari. Quantum porro attinet ad rubefacientia, nullam, docente ratione, praestare poterunt, si vere odontalgia hypersthenica sit, utilitatem. Haud sane me fugit, nonnullos emolumentum a rubefacientibus sperare, quod dolor in parte excitatus dolorem partem alteram discruciantem consopiat; non tamen lubens in eorum opinionem descendo: si morbum avertere possum, nullo altero inducto, cur inducam? Si odontalgia curari potest opportunis subsidiis, quin aliae partes multentur, cur multabo? Satius itaque ducerem et camphoram, et rubefacientia fore ablegancla, omnemque spem in antiphlogistica methodo collocandam.

XLVIII. Magnopere autem miror, cl. Darwin contendere odontalgiam non exoriri ab inflammatione, sed potius ab atonia membranae dentes cingentis; suamque sententiam tot viribus sancire, alteram dentium affectionem memorare, quam vocat odontitidem, et a phlogosi repetit; quum ad tradendam methodum curativam descendens utrique comparatam, prorsus

(i) Cullen *élém. de méd. prat.*, *tom. I pag.* 309.

opposita commendet subsidia. Re quidem vera sibi non consentit, ni fallor, praecl. Auctor, dum censet odontalgiae caussam esse atoniam, mox vero venae sectionem, et catharsim laudat; an prout prosternuntur vires, erigi poterunt? An, deficientibus stimulis, adaugebitur incitamentum jam imminutum? Mehercle non videtur rationi consentaneum. Sed ulterius progredior. Phlebotomiam, et catharsim praescribit: postea vero duo opii grana ore detinenda commendat. Primum sciscitor: incitamentum est ne adauctum, vel imminutum? Imminutum declarant symptomata, quae in affectione adnotat Auctor: ergo non ad debilitantia, sed ad stimulantia illico deveniendum. An adauctum mavult? Methodum antiphlogisticam laudo; sed quaero: cur mox contrariam adhibet? Cur debilitat vires, mox erigere studet? Demum observo, a sanguinis missione, a purgantibus, verbo a stimulorum subductione directam debilitatem exoriri. Incitabilitas, ut cum Brunone loquar, cumulata stimulorum se sistit impatientissima: cur itaque illico ad adeo insignem opii dosim Auctor confugit (1)?

XLIX. Odontitidis curationem tradens Darwin, haec habet: si dens fuerit sanus, evacuans methodus est usurpanda: vena secanda: cathartica praescribenda: dein duo grana opii conducent, vel etiam vesicatorium retro aurem applicitum, vel aether genae extus admotum. In levioribus casibus duo opii grana, vel et simul aequalis camphorae dosis ore detineri poterunt, ut secus affectum dentem solvantur, et paullatim deglutiantur. Mehercle meum subit animum stupor, dum methodos prorsus oppositas simul in usum advocatas conspicio. Et primum quaero: Darwin distinguit odon-

(1) Darvin *zoonom. tom. IV pag.* 211.

titidem ab odontalgia; priorem a phlogosi repetit, alteram ab atonia: placet distinctio. At si distinguendae affectiones, cur curativa methodus eadem? Observo enim, odontitidis curationem cum ea consentire, quam tradit odontalgiae. Praeterea non video, cur in inflammatione opium, aliaque laudet stimulantia? Haec tantum abest, ut dolorem leniant, quin imo exasperabunt (1). Haec circa DARWINII cogitata aperui dubia; nemo tamen succenseat, quod tanti Viri doctrinae pretium rite aestimare contendam: Auctoris cum universa literaria republica veneror nomen; honestum tamen non duxi, quae sentiebam, abscondere. Cur veram unquam praestabo fidem doctrinae, cujus me sat nondum convicere principia? Sentio equidem, inania forte mea esse dubia; verumtamen patefacere debeo: dubia quaestiones movent; a quaestionibus intima existit suasio. Rogo itaque, obtestorque, ut haec mea quisque ad trutinam revocet, allevetque tenebras, quae fortasse a recta veritatis abduxere semita; unus me veritatis animat amor; huic uni nunquam non mea vovebo suffragia.

L. Sed jam ad hypposthenicam odontalgiam considerandam nos vocat quem suscepimus ordo. Facile patet, curationis usurpandam esse methodum illi prorsus oppositam, quam de hypersthenica odontalgia edisserentes commendavimus. Hinc improbantur venae sectiones, purgantia: hinc utilia se sistent stimulantia intus ingesta, extus sedi applicita, vel ore detenta; neque salebrosum erit definire, cur prorsus adversantia praesidia diversis temporibus usurpata utilia visa fuerint; contrariam enim diathesim viguisse, rationi videtur omnino consentaneum. Quare si lubeat cum DARWINIO distinctionem admittere odon-

(1) Darwin *op. cit. tom. IV pag. 398.*

talgiam inter, et odontitidem, statuemus in odontalgia convenire ea omnia, quae imminutum adaugere valent incitamentum; contra debilitantem methodum esse in odontitide adhibendam; si vero epispasticorum admotionem in odontalgia hypersthenica improbavimus, commendabimus contra, ubi debilitas morbum foveat. Non est, cur varia singillatim percenseamus auxilia, quae utilia esse poterunt: e stimulantium classe esse debere, nos sat edocet ratio: quod nam vero plus spondeat emolumenti, observatio perdiligens, diutina praxis commonstrabunt: nullum certe erit detrimento.

LI. Jam vero transeundum ad eam odontalgiam, quam irritans caussa, uti caries, progenuerit. Dentis evulsio unicum hoc in casu praestat auxilium; caustica etiam, vel ferra candentia in cavum immittuntur a carie factum; sic enim abscinditur nervus, sensimque dens destruitur: at raro votis satisfacit methodus: interdum dum morbum profligare suscipimus, graviorem reddimus, dentibus sanis caustico laesis. Observandum insuper, si caries exteriorem dentis partem corripuerit, eidem applicitum causticum illico saliva dilui, nec ad sat temporis agere, quo dentis destructionem moliatur. Hinc dentis extractionem caeteris anteponendam methodis, censemus. Interdum praecipue, ubi caries partes dentium sibi mutuo adsidentes multaverit, difficile est dignoscere dentem affectum. Nonnulli censent, fluidi galvanici fluentum traducendum per dentium seriem. Ubi dolor persentietur, ibi caries.

LII. Superessent quoque caeterae, quas constituimus, considerandae odontalgiae species; at non est, cur fusius hasce persequamur. Methodus enim curativa cuique opportuna per se facile fluit. Hinc de hisce dicere supersedemus.

THESES.

EX CHEMIA.

I.

Interior pars dentium penitus ossea iisdem constat principiis, ac caetera ossa; glutine scilicet, et phosphate calcari.

II. Dentium encaustum coronam undique cingens vitri albi, metallici simile quid habet, pariter in angulosas particulas fragile; durum est adeo, ut favillas subinde cum calybe collisum elicuerit.

EX ANATOME.

I. Dentium encaustum fibrosum esse, citra omnem dubitationem est positum.

II. Tum sanguinea vasa, tum nervi cuique denti prospiciunt.

EX PHYSIOLOGIA.

I. Dentes ad partes referendi sensibilitate pollentes.

II. Masticationis instrumentum sistunt, et ad loquelam non parum conducunt.

EX MATERIE MEDICA.

I. Velut optimum auxilium dentium incolumitati accomodatum, nec immerito suadent Therapeutae dentifricium pulverem, ex corticibus quercus, salicis, et cornu cervi calcinato compositum, cui ad gratiam aliqua adjiciatur aromatica substantia, puta cinamomum.

II. Qui dentium saluti student, ii ab acidis quibuscumque caveant solliciti; quippe ista eorumdem encausto non parum officiunt.

EX HYGIENE, ET MEDICINA FORENSI.

I. Non modo ad venustatem, sed et ad salutem dentium curam conducere, res est plane comperta; hinc non inepte penes plures populos legibus cautum, levi de caussa, et citra necessitatem non esse avellendos dentes, qui ut sarta, tectaque salus obtineat, sunt probe servandi.

II. Dentes vel fortuito a propriis alveolis extruduntur, vel decidunt per morbos, vel evelluntur acerbissimis saevientibus doloribus a carie, vel etiam arte evelluntur ad militares leges frustrandas; probe igitur perpendat Peritus, utrum ab hac, an vero ab illis pendeat caussis dentium defectus in milite conscripto, qui hac de caussa ad militiam se ineptum declaret.

EX CLINICA.

I. Odontalgia vel hypersthenica, vel hypposthenica est; prior potionibus, et collutoriis diluentibus, et refrigerantibus, venae

sectionibus, tum universalibus, tum topicis, aliisque debilitantibus auxiliis curatur; contrariam omnino methodum postulat altera.

II. Odontalgia, quam irritans localis caussa produxit, puta caries, una dentium eductione radicitus curatur.

V. Bonvicinus.

V. Bellardi.

Imprimatur.

Prosper BALBUS

Rector Academiae Taurinensis.